

ris mutationes constantissimâ ratificant experientiâ. Causæ quidem quas probabiliter quis reddat, quod  $\frac{3}{8} \frac{1}{5} \frac{2}{5}$  in fide sonent, in Zodiaco non operétur, hæ esse possint.

1. oppositus solus, duo quadrata, trinus cum sextili, absoluunt singuli semicirculum : at tres hi radij nullum habent socium ad hoc munus , quem Musica non penitus repudiet.

2. Reliqui radij rationem habent facilem ex diametro , latus quinquanguli , & subtendens duo latera quinquanguli, tria octanguli , sunt in gradu remoto & irrationales.

3. Causa, quia trinus cum sextili, quadratum cum quadrato efficiunt rectum angulum, Radij reliqui nullo pacto cum vlla recepta linea. 4. Imperfœta B mollis est quodammodo perfecta, quia vtitur eadem diuisione cum perfectis, & est dimidia quinta. Vnde non mirum, solam ex imperfectis respondere aspectui alicui, sc. sextili, qui itidem est dimidiustrinus . Cæteræ enim nec aptæ sunt in duodenarium , nec perfecti alicuius pars sunt.

5. Denique sextrigoni anguli, quatuor quadrati , tres sexanguli , & duobus semicirculis comprehensa duo spacia implent omnem in planicie locum. At tres anguli in quinquangulo minores sunt quatuor rectis , quatuor sunt maiores. Vnde & illud patet, quare nec octangularis, nec duodecangularis radius, nec ullus reliquorum operetur. Atque hic ferè separo causas aspectuum à causis concordiarum. Certè enim quæ ex angulis fit, genuina radijs est ratiocinatio ; cùm propter angulū in puncto superficie terrenæ factum , in quo miscentur, existat operatio , non verò propter figuram in Zodiaco circulo descriptam, quæ imaginatione potius quam rei veritate constat. Diuisione verò fidis nec in circulo fit , nec angulis vtitur, sed in plano per rectam lineam perficitur. Possunt tamen nihilominus & concordantiæ & aspectus habere commune quid, quod eadem vtrinq; causatur, vt suprà dictum. Id verò aliorum industriæ relinquo scrutandum. Ptolemæi Musica, quæ Regiomontanus cum expositione Porphyrij, editurus erat, sed nondum excusa Cardanus asserit, in hac materia procul dubio verantur. Vide etiam quid ex Euclidis Musicis huc referri possit.